

Aphorismi.

QVando Ascendens reuolutionis peruenerit ad locum Caudę radicis, significat natum uenturum in potestatem suorum inimicorum, & metu arrepturum fugam. Et si infortunę eam aspexerint, dic damnum futurum à uilibus personis, duritiem atq; laborem in rebus agendis.

Ascendens reuolutionis si fuerit signum sextum, septimum uel duodecimum radicis, significat malum nato eo anno, & maxime si hæc domus in radice fuerint infortunatę. Sed septima rixas & litigia multa significat.

Dominus reuolutionis à Sole combustus, significat graua detrimenta.

Sol in duodecima infortunatus, significat quod inimici occulti, molientur nato multam grauitatem. Hoc idem significat Saturnus reuolutionis in quadrato loci radicis.

Stellę fœlices si in aliquo anno fuerint in duodecima domo, significant quod inimici nati contra eum præualebunt. Si uerò infœlices in duodecima fuerint, dic contrarium.

Ascendens reuolutionis quando peruenerit ad partem anni, in quo timetur mors, uel gradus diuisionis annorum, uel dominus eius, eo anno tali nato corporis aduersam ualeudinem minatur, aut substantiæ minutionem, aut captiuitatem, uel aliquid simile.

Angulus quartę & septimę, & eorum domini si in aliqua reuolutione fuerint infortunati, eo anno graua impedimenta decernunt.

Capricornus in duodecima domo, & Aquarius in ascendente reuolutionis, significat quod aliqui hostes occulti, ultro amicitiam nati expostulabunt.

Capricornus uel Aquarius in duodecima reuolutionis, & Saturnus in septima, significant quod hostis occultus fiet nato publicus.

Mars in duodecima, ex quadrupedibus damnum, uel aliquid sinistri significat. Iupiter in duodecima, significat potentes aduersarios propter inuidiam, cum etiam est dominus sextę, sed nihil obesse poterunt, nam aduersariorum improbitas conculcabitur, & lingua odiosa obmutescet.

Si fuerit Saturnus in Leone retrogradus ab equo aliquid sinistri sentiet natus, & multa dispendia propter equos.

Peius quod habere possit ille, cuius est reuolutio, erit, quando dominus anni fuerit in aliquo angulorum infortunatus à planeta infortunante ipsum sine receptione de quadrato uel opposito, & qui iunctus fuerit cum eo corporaliter in radice, quia tunc in illo anno habebit anxietates, labores, & amisiones multas &c.

Nunc de significationibus planetarum, quando fortunati, uel infortunati in reuolutione natiuitatis int. eniuntur.



SATURNVS in anni reuolutione infortunatus repertus, significat malum statum, & damnum senibus illius progeniei, ac in rebus Saturni, etiam in rebus signi in quo est Saturnus, & domus in qua fuerit. Sed commisce illi etiam iudicium gradus diuisionis Saturni radicis, & eius diuisoris. Si fortunatus fuerit dic contrarium huius.

Iupiter infortunatus, significat malum statum in uictu, diuitijs, & rebus Iouis, de natura signi, & domus in quibus fuerit. Si fortunatus fuerit, profer contrarium, & adiuuge etiam iudicium gradus diuisionis loci Iouis radicis, & eius diuisoris.

Mars infortunatus in reuolutione, significat malum statum in fratribus, & militia, & damnum in itineribus, secundum naturam signi, & domus ut supra. Si fortunatus

natus